k

meruerunt ad aeterne retributionis dona tingere. Uerum si diligen
ter uerba legis adtendamus, forte patebit non prohibitum
imagines rerum aut animalium facere, sed haec idolatriae
gratia facere omnimodis esse prohibitum. Denique dicturus
in monte sancto dominus: Non facies tibi sculptile neque omnem si
militudinem, praemisit: Non habebis deos alios coram me;
Ac deinde subiunxit: Non facies tibi sculptile, neque omnem
similitudinem quae est in caelo desuper, et quae in terra deorsum,
Nec eorum quae sunt in aquis sub terra; atque ita conclusit:
non adorabis ea neque coles. Quibus uerbis aperte declaratur
quod illae similitudines fieri prohibentur ab hominibus, quas
in ueneratione deorum alienorum facere solent impii;
quaeque ad colendum atque adorandum gentilitas errabunda
repperit. Ceterum sinistra haec fieri nulla uetat legis
diuinae littera uetat; Alioquin et dominus temptantibus se pha
risaeis de tributo caesari reddendo, in quo nomen et imaginem
caesaris expressam esse dicebant, Nequaquam ita respon
deret: Reddite quae sunt caesaris caesari, et quae sunt dei deo;
Sed potius eorum corrigeret errorem dicens: Non licet uobis
in percussura auri uestri imaginem facere caesaris, Quia
talem sculpturam lex diuina prohibet. Namque locus erat
ostenso sibi numismate census hoc dicere, Si in eo caesaris
imago causa idolatriae et non ad indicium magis regiae
potestatis esset deformata;

xx Et fecit bases decem aeneas, quattuor cubitorum longi
tudinis bases singulas, et quattuor cubitorum latitudinis;